

1140
Nova religio ad famulum Salvatoris condita.

Aedes Clementi erecta.

1146

Cum Patavinis ob scissionem fluminis prospere pugnavimus.

In gratiam Emanuelis Byzantini Imperatoris Normanis bellum inferunt.

mine ea tempestate præerat, cum omnibus, qui ibi divina procurabant, canonicum dogma & habitum suscipere: cuius novi instituti Innocentius Pontifex postea factus est auctor: Alexander quartus inde eorum ædem dedicavit. Petrus Gatilofus ad canalem orphanum Ædem Clementi perspicuam erexit. Cæterum gravissimæ discordiæ inter Venetos Pisanosque per id tempus subortæ dicuntur: causam fuisse ferunt tumultuariam pugnam illam ad Rhodum, a Michaelē Vitalis Principis filio, classis Præfecto, temere commissam, in qua victi exutique tota ferme classe Pisani gravi videbantur ignominia affecti. Multæ variæque fuerunt clades citro ultroque per occasionem illatæ & acceptæ: exarsissentque adhuc magis amborum populorum odia, nisi maturo Romani Pontificis interventu perniciofa illa utroque in alteros compressa esset grassandi ratio. Dalmatici nominis plerique populi Venetis gratificaturi navim unam longam singuli suo nomine instructuros se pollicentur, quotiens Veneti quindecim navium classem essent aliquo educturi: Polani Histriæ accolæ & ipsi supplementum polliciti sunt, ac cætera ad triremes instruendas necessaria, quandocunque Princeps in hostes moturus eo appulisset. Cum Patavinis rursus ob scissionem fluminis ad ædem Hilarii factam, hoc tempore pugnatum reperio: quo bello Veneti Guidone Monticulano terrestrium copiarum Imperatore sunt usi, atque ad Tumbam cruento utrinque Marte dimicatum: verum fuis hostibus, ad trecentos quinquaginta ex eis Venetias adductos: sed principibus civitatis suppliciter orantibus, culpamque scissi fluminis non penes nobiles esse, sed plebejos quosdam temerarios affirmantibus, captivos gratis ad unum redditos. Ursus Badoarius multa & ampla prædia circa Murianum & Majorbium Joanni Trunno Majorbienti, ad pium Divi Jacobi nomine diversorium construendum, tradidit: eum postea locum majore apparatu excultum Cisterciæ Virgines tenuere.

Sed dum hæc domi ociose curabantur, Veneti, ne quandoque civitas longiore frueretur ocio, Emanuele Byzantii Imperatore per legatos petente, classem in Rogerium, Gui-